

nium, nec usum, et proinde quævis contractatio pecuniæ, seu denariorum, quæ non sit pure naturalis, seu quæ sit quovis modo politico, cujuscunque domini sint denarii, seu pecunia fratribus Minoribus observantibus seu de Observantia est omnino prohibita.

(132. Et insuper, ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contractandis denariis, seu pecuniis auferatur, prohibet expresse idem Pontifex Innocentius XI, in d. constitutione incip. *Sollicitudo*, § 10, ne fratres Minores possint esse administratores ullorum temporalium bonorum, sive mobilium, sive immobilium cujuscunque domini illa sint, et neque monasteriorum sibi subjectorum, ibi: « Demum ut omnis occasio transgrediendi præceptum de non contractandis denariis, seu pecuniis auferatur omnibus, et singulis dicti ordinis prælatis, sive superioribus in virtute S. Obedientiae, ac sub pœna privationis suorum officiorum injungimus, ut nulli religioso ejusdem ordinis permittant administrationem fundorum, reddituum, ac quarumcunque aliarum rerum, et bonorum mobilium, vel immobilium, cujuscunque domini illa sint, et signanter ut nulli religiosorum ordinis hujusmodi permittatur administratio bonorum temporalium alterius monasterii monialium sub quovis prætextu, aut nomine, nempe administratoris, syndici, factoris, coloni, superintendentis, villici, aut alio quovis imaginabili. »

(133. Dictis fratribus Minoribus, quamvis sit omnino prohibita receptio, et contractatio politica, et civilis denariorum, seu pecuniæ, nempe receptio, et contractatio denariorum ad eos pro usibus expendendos, et permittendos: non est tamen eis prohibita denariorum receptio, et contractatio pure naturalis, et materialis absque omni dominio, et usu. Unde non est eis prohibitum denarios e terra levare, eos ad discernendam qualitatem metalli pertractare, curiositatis gratia tangere, et hujusmodi. Item non est eis prohibitum denarios alicujus parentis, amici, mercatoris, benefactoris pro custodia ratione alicujus periculi retinere, aut secum in itinere ad evitanda latronum pericula ducere, seu ad preces alicujus debitoris eos alio transferre pro consignandis ejus creditoribus, vel pro restitutione ab aliquo penitente debita facienda, et hujusmodi; dummodo semper hæc fiant absque ullo usu, aut effectu, vel scandalo pusillorum.

(134. Prædicti fratres Minores, nedum non possunt habere aliquid proprii in particulari, sed neque in communi, ad differentiam aliorum regularium utriusque sexus, qui licet nequeant habere aliquid proprii in particulari, possunt tamen habere dominium bonorum temporalium in communi. Conc. *Trid.* sess. xxv, *De regularibus*, cap. 3, ibi: « Concedit sancta synodus omnibus monasteriis, et domibus, tam virorum, quam mulierum, et Mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci Capuccinorum, et eorum, qui Minorum de Observantia vo-

cantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. »

(135. Insuper religiosi aliarum religionum possunt etiam in particulari cum licentia superiorum habere usum pecuniæ, dummodo moderatus sit, et ad fines honestos, et cuilibet religioso decentes, et fiat juxta tradita sub verb. *MONIALES*, art. 2, n. 67, 69, 70 et 79, et juxta constitut. Clem. VIII de largitione munerum, et ejusdem decreta pro reformatione regularium.

(136. Dicti autem fratres Minores neque de licentia suorum superiorum possunt in particulari habere usum pecuniæ: est enim ipsis rigorosissime interdicta receptio, et contractatio pecuniæ, ut patet ex fundamentali, et præcipuo suæ regulæ præcepto cap. 4, his verbis: « Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam. » Cum tanta sit eorum paupertas (quam eorum S. Pater, et fundator, ac Summi Pontifices vocant altissimam), ut licet Seraphicus Patriarcha permittat, quod « pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales ministri tantum, et custodes sollicitam curam gerant secundum loca, et tempora, et frigiditas regiones, sicut necessitati viderint expedire; » excipit tamen semper, et salvat, quod « nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, » cit. cap. 4 *Regulæ*, ibi: « Eo semper salvo, ut sicut dictum est, denarios, vel pecuniam non recipiant. » Unde cum neque ipsimet superiores usum pecuniæ habere possint, tanto minus ipsum pecuniæ usum poterunt subditis concedere, ac permittere, arg. cap. *Nemo 79*, *De regul. juris*, in 6, ibi: « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » l. *Nemo 34*, ff. *De regul. juris*, ibi: « Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse haberet, » cum similibus.

(137. Imo est eis tam rigorose interdictus pecuniæ usus, ut neque in eorum ecclesiis, seu aliis permittatur pecuniarum quæstus in eorum commo- dum, ac utilitatem, textu expresso in Clementina *Exivi 1*, *De verbor. significat.*, § *Quo circa*, ibi: « Quo circa quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in ecclesia, vel alibi cippi, seu trunci ordinati ad offerentium vel donantium pecunias reponendas, nec non quicumque recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qui per declarationem prædictam » (hoc est Nicolai III, in cap. *Exiit qui seminat*, 3, *De verbor. significat.*, in 6) non conceditur: hæc, inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta.

(138. Quinimo neque possunt dicti fratres Minores capsulas retinere in sacristia, aut alibi ad Missarum eleemosynas recipiendas, etiamsi clavem retineret syndicus Apostolicus, ut expresse fuit prohibitum per nostras constitutiones generales de anno 1628, jussu Urbani VIII, constit. incip. *Injuncti Nobis*, et a S. cong. Conc., die 7 Julii 1708, prout

habetur in *Chronologia* nostri Seraphici ordinis Patris Julii de Venetiis ad septuagesimum octavum generale capitulum circa finem, ut sequitur.

Decretum sacre congreg. concilii Trid., modificativum bullæ Innoc. Papæ XII, de celebratione Missarum.

De capsulis.

Quemadmodum probos decet religiosos, cupientes hujus ordinis Patres non minus eorum regulæ puritatem custodire, præcipue circa paupertatis votum, tantopere a sancto fundatore injunctum, quam Apostolicis jussis obtemperare, humillime expectierunt hujus S. C. oraculum super declaratione emergentis casus, qui est ejusmodi. Urget ex una parte novissima constitutio san. mem. Innocentii XII, super celebratione Missarum, quæ incipit *Nuper*, cum decreto irritanti, et clausula *sublata*, nec non cum derogatione expressa omnium constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, atque consuetudinum immemorabilium, quæ inter alia provida decreta demandat retentionem capsularum pro Missis celebrandis per verba: « Debeant ulterius regulares prædicti omnes, et quæcunque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, et temporalium Missarum reponere in capsula particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, et celebratione Missarum coram Patribus discretis, seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere, et respective reddere. »

Obstare ex alia parte videntur hujusmodi capsæ retentioni bina decreta, alterum editum in generali congregatione Cismontanæ Familiæ habita in conventu Araceli anno 1615, relatum in tom. III *Orb. Seraph.*, pag. 613, alterum vero per eadem verba conceptum itidem in generali congregatione in eodem conventu celebrata anno 1628, clar. mem. card. Gypsi a san. mem. Urbani VIII, specialiter delegato, recensitum quoque in tom. IV ejusdem *Orb. Seraph.*, pag. 11, quod et pariter eorundem verborum textura relatum reperitur post constitutionem: *Injuncti Nobis*, prælaudati Pontificis, 49 in ordine Bull., tom. IV, sub dat. 4 Junii 1628, et publicatum die 15 ejusdem mensis, et anni, ibi: « Capsæ, vel trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias etiam pro Missis oblati, non solum ab ecclesia, sed etiam a sacristia, et a quacunque parte, quæ sit intra clausuram conventus omnino prohibentur sub pœna inobedientiæ, et excommunicationis majoris, oblata autem eleemosynæ pro Missis nullo modo intra clausuram conventus, aut intra ecclesiam, vel sacristiam ab aliquo recipi permittantur, sed ad syndicum Apostolicum offerens remittatur. Quod si id grave illi fuerit, et voluerit tertiaro, vel servitori conventus tan-

FERRAR. VII.

quam syndici substituto illam tradere, ut ad syndicum ipsum ejus nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, ut intra clausuram conventus, aut ecclesiæ, nec tertiaro, nec servus illam recipiat, et guardianus, qui contrarium permiserit, privetur officio. » Et ibidem infra: « Præterea nullo modo habeant in eorum ecclesiis, vel sacristiis, aut alibi cippos, aut truncos ordinatos ad offerentium, seu donantium pecunias, nec capsulas pro eleemosynis Missarum. »

Insuper obstare videntur typis traditæ constitutiones editæ in capitulo generali celebrato in eodem conventu Aracelitano, die 22 Maii 1700, *Pro Cismontana Familiæ*, § *Ad propositionem*, n. 1, pag. 40, ubi hæc habentur: « Ad propositionem factam in discretorio Observantium, an supplicari deberet SS. uti dispensare dignetur cum Observantibus in præcepto de retinenda capsula in sacristia pro recipiendis eleemosynis pro Missis, pro ut insinuari videtur in decretis de celebratione Missarum; definitorium generale, attentata dispositione Regulæ nostræ, cap. 4, ac Apostolicarum declarationum illius, aliorumque Pontificum constitutionum, præsertim Nicolai III: *Exiit*, Clem. V: *Exivi*, Pauli III: *Exponi Nobis*, die 30 Maii 1536; Innocentii XI: *Sollicitudo Pastoralis*, Innoc. XII: *Alias a felicis*, nec non decreti sacre congreg. Consultationibus hujus nostræ familiæ præpositæ, approbante Sanctissimo sub dat. die 4 Junii 1628, declarat, ejusmodi capsulas statui, ac professioni fratrum Minorum de Observantia esse repugnantes, et proinde fratres nostros non comprehendere sub præcepto hujusmodi de retinendis prædictis capsulis in sacristiis, vel suis conventibus, et si opus fuerit, supplicetur SS. pro confirmatione hujus declarationis per officiales familiæ. » Harum autem constitutionum legalitatem impugnat Modernus commissarius generalis Familiæ Cismontanæ autumans, eas fuisse efformatas proprio Marte mox defuncti P. generalis ordinis citra consensum generalis capituli, sed earum loco hoc aliud exhibuit documentum. In Regesto curiæ Aracelitanæ facto ab anno 1700, usque ad annum 1704, fol. 22, n. 7, inter alia sic legitur: « Circa capsulam pro conservatione eleemosynarum pro Missis celebrandis recipiendarum in sacristiis omnium regularium etiam Mendicantium cum amplissimis derogatoriis omnium in contrarium quomodolibet disponentium a sacr. congr. novissimis decretis de celebratione Missarum observari mandatum cum circumstantiis in ea materia dispositis, discretorium generale optat, ut supplicetur Sanctissimo pro dispensatione Observantium ab obligatione eas capsulas retinendi: at definitorium generale rogat reverendiss. P. generalem, ut, perpensis perpendendis, mandet id fieri, et respective supplicari, quod sibi melius in Domino, ac ordini utilius videbitur expedire. »

Ancipites valde sunt religiosi præfati ordinis, utram in partem se teneant super hujusmodi capsularum retentione, exinde

que in varias abierunt interpretationes cum præjudiciali difformitate regularis instituti, utpote qui Innocentianam constitutionem servandam contendunt, capsulas ad usum revocarunt; cæteri vero, qui supra relatis ordinis statutis conmittuntur, easdem abjecerunt. Propterea prænominatus vice-commissarius generalis ad restituendam in hac parte debitam regulæ uniformitatem reverenter expetit E. E. V. V. declarationem, an sui religiosi observantes regulæ D. Francisci comprehendantur sub prima dicta constitutione Innocentiana *De capsulis retinendis pro Missis celebrandis*?

Eminentissimus ordinis protector informare desuper requisitus, præallegatas dispositiones librando non dubitat, hosce fratres Minores Observantes comprehendendi sub d. constitutione Innocentiana, eo quod illa specificè de regularibus Mendicantibus loquatur, atque præmemorata religionis statuta ex adverso recensita non obstare, subdit, attenta speciali eorumdem derogatione in eadem Innocentiana contenta, quin et ulterius eminent. Relator allegando indultum san. mem. Gregorii XIII, permittentis usum hujusmodi capsularum in sacristia dictorum fratrum pro asservendis elemosynis in dies oblati, quod refertur ab auctore *Orb. Seraph.*, tom. II, pag. 382, col. 2, pag. 446, col. 1, censet, nullum sese deprehendere inconveniens in earum usu, quoties tamen retineantur cum cautela in locis non publicis, ne in apparentia offendatur paupertas, sed asserventur claves apud syndicum Apostolicum, et superiorem localem respective ad formam constitutionis Innocentianæ, uti latius in ejusdem relatione per manus circumferenda. His itaque expensis emergit dubium sapientissime ab E. E. V. V. resolvendum.

An, et quomodo Minores Observantes valeant retinere capsulas pro Missis celebrandis in casu, etc.

Die 7 Julii 1708, sacr. congreg. eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, respondit, *Negative*.
B. Card. PANCIATICUS, Præf.

(139. Unde prædicti fratres Minores mortaliter peccant, quoties pecunias petunt, ac recipiunt sive per se, sive per interpositam personam; a pecuniis enim debent dicti fratres ita esse alieni, ut nec ipsis liceat eorum usus, et contractatio, ut ultra textum regulæ cap. 4, declararunt expresse Nicolaus III, in cap. *Exiit qui semin.*, 3, § *Ad majorem*, De verbor. signific. in 6; Clem. V, in Clementina: *Exivi de paradiso* 1, vers. *Verum etiam*, De verb. significat.; Innocent XI, constitut. incip. *Sollicitudo pastoralis*, § 4.

(140. Casus autem, pro quibus ad amicos spirituales eis licet pro elemosynis pecuniariis recurrere, et per quos, et quomodo sint expendendæ, enuntiantur in d. cap. *Exiit*, § *Cæterum cum in eadem*, et l. Clementina *Exivi*, § *Porro*, vers. *Cum etiam*, et late traduntur per omnes regulæ expolitores, ad quas brevilitatis gratia lectorem remitto.

(141. Regulares omnes utriusque sexus tenentur uti rebus, servata honestate, et modestia juxta dicta supra n. 122, id est tenentur etiam in rebus sibi ad usum concessis vitare superfluitatem, curiositatem, et pretiositatem, ita ut si in illis notabiliter et graviter excedant, etiam graviter peccent, ut tradunt communiter doctores. Et ratio est, quia regulares non tenentur solum ad præcisam paupertatis essentiam, quæ consistit in abdicatione omnis dominii, proprietatis, et juris politici in res, et usu rerum, sed etiam ad illius accessoria, veluti proprietates, id est ad temperantiam, seu sufficientiam, quæ tollit, et damnat excessum et superfluitatem in victu, vestitu, suppellectili, ædificiis, et hujusmodi; juxta illud Apost. I *Tim.* vi, ibi: *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus*, et concil. *Trident.* sess. xxv, cap. 2 *De regularibus*, ibi: « Mobilium usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, et nihil superflui in ea sit. » Item, *ad humilitatem et modestiam*, quæ excludit pretiositatem, curiositatem, fastum, superbiam, et hujusmodi. Item, *ad fidelitatem*, in administratione, et usu bonorum monasterii Deo consecratorum, seu oblatorum pro necessaria, et competenti duntaxat sustentatione religiosorum ad majorem divini cultus promotionem. Item denique, *ad exemplaritatem*, qua regulares se absterneant ab omnibus, quæ scandalum generare possent, uti sunt voluptuosi sumptus, nimis profusiones, et excessivæ pompæ, quæ magnatum sæculi fastum potius quam pauperum claustralium religiosorum humilitatem præse ferunt.

(142. An regulares, qui sine licentia superioris disponunt de suis manuscriptis, videlicet de suis concionibus, lectionibus, compositionibus, et hujusmodi in vita, vel in morte, intra, vel extra religionem, sint proprietarii, et peccent contra votum paupertatis? Variant doctores. Non esse tales regulares proprietarios, nec peccare contra votum paupertatis tenent Diana, part. 1, tract. 6, *De paupertate*, resol. 25; et alii apud ipsum, Homobonus, in *Exam. eccles.*, part. 1, tract. 7, cap. 32, q. 100; Valer. in suis *Differ.*, verb. *Munera*, n. 106; Kilianus Kazenberger, *Supplem. theol. moral. Patris Sporer*, cap. 2, sect. 3, *De statu religioso*, n. 149; cum aliis ibi citatis, Felix Potestas, tom. 1, c. 2, n. 1114, et sic declarasse Clem. VIII, *Pro Minoribus*, possint nempe alienare sua scripta disponendo, secum ferendo, donando sine superioris licentia, non obstante sua bulla *De largitione munerum*, refert Coriolanus Capucinus, part. II *De casibus reservatis*, cas. 8, sub n. 19, vers. *Hoc autem*, et alii, quibus favent etiam Bordonus, *De profess.*, cap. 5, q. 44; Passerin., tom. 1, quæst. 179, art. 8, num. 184; Pellizzar., tom. I *Manual.*, tract. 4, cap. 2, q. 34, n. 318. Et ratio est, quia talia scripta, utpote partus intellectus, sunt quasi pars scientiæ, et doctrinæ acquisitæ, adeoque sicuti religiosi secum

deferre, aut aliis communicare possunt suam scientiam, et doctrinam, ita et propria sua scripta donare. Unde Diana, *loc. cit.*, cum aliis ibi allegatis resolvit posse religiosos inter se donare suas conciones, lectiones, et alia scripta, vel posse secum deferre quocunque vadant, etiamsi se transferant in aliam religionem, idque nulla petita licentia, et nullis relictis copiis. Ex quo juxta Franciscum a S. Clara apud nostrum P. Gaudentium Kerchove in statuta nostra generalia, cap. 3, § 5, n. 11, probabile etiam videtur, dicit P. Kazenberger *cit.*, nos fratres Minores posse legare nostra propria scripta.

(143. Oppositum tamen sustinent Amernus, tract. *De incorrigibilium expulsionem*, part. III, quæst. 29, n. 293; Donatus, *Præxerum regul.*, tom. IV, *De voto paupertatis*, tract. 15, q. 46, testans sic tenere etiam omnes illos eruditissimos doctores, quos ipsemet refert, tom. I, part. II, tract. 5, q. 57, cum quibus Navarrus, lib. III, q. 14, n. 10, ubi exinde deducit transeuntem ex una in aliam religionem non posse secum ferre sua scripta sine licentia capituli primi monasterii, quia non est dominus illorum, sed monasterium; et sic tenent plures alii dicentes, quod hæc sit vera sententia firmiter decisa in cap. *Non dicatis* 11, quæst. 42, n. 1, ibi: « Certum est eos nihil habere, possidere, dare, nec accipere debere sine superioris licentia; » cap. *Statutum* 1, caus. 18, q. 1, ibi: « Sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat: » cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 16, quæst. 3, ibi: « Sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est: » et conc. *Trident.*, sess. xxv *De regularibus*, cap. 2, ibi: « Nemini regularium liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; » et concordant decreta generalia Clementis VIII, pro reformatione regular. incip. *Nullus omnino*, § 3, Unde attente notanda sunt verba illa *Trid.* « Quovis modo acquisita, » et illa *cit. e. Statutum*: « Quidquid acquisierat, » nam qui totum dicit, nihil excludit; cap. *Solutæ* 6, § *Nobis*, De majorit. et obedient., cum similibus.

(144. Et ratio est, quia quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio etiam ex propria industria, et arte, cap. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 1; cap. *Abbatibus* 16, caus. 18, quæst. 2; cap. *Quia ingredientibus* 7, caus. 19, q. 3; cap. *In presentia* 8, De probationibus; cap. *Monachi* 2, cap. *Super quodam* 4, et cap. *Cum ad monasterium* 6, De statu monachor., authent. *Ingressi*, cod. *De sacrosanct. Ecclesiis*, cum similibus, adeoque nullatenus de hujusmodi acquisitis disponere potest, et si in religione ex commoditate, et aliis, quæ sibi dedit religio, aliquos libros conscripsit vel composuit, totum hoc debet cedere in beneficium religionis.

(145. Tum quia hoc esset quodammodo testamentum condere, maxime si regulares in morte de suis manuscriptis disponerent; regulares autem tam superiores, quam subditi nequeunt ullimode testamentum condere, ut patet ex dictis et juribus allegatis sub verb. *REGULARES*, a n. 62 ad 66, et sub verb. *TESTAMENTUM*, art. 4, *vide* ibi. Ipsi enim regulares ob votum obedientiæ, et paupertatis omni libertate, et proprietate se privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo disponere possint, amplius habeant, cap. *Si religiosus* 27, De elect. in 6, cap. *Religiosus* 2, De testamentis in 6, cap. *Religiosi* 5, De sepult. in 6, cum similibus. Si ergo non habent regulares nec velle, nec nolle, quomodo possunt pro sua voluntate sine licentia superiorum de manuscriptis disponere? Hinc B. Albertus Magnus præclarissimi Prædicatorum ordinis maximum in omni genere virtutum decus, et ornamentum, partus, sive tractatus sui felicissimi ingenii jam completos in uno monasterio, in aliud non deferebat, cum cognosceret dominium illorum non habere, sed spectare ad monasterium, in quo completi fuerant, ut ex chronicis ordinis testatur Dozatus, *cit.* q. 46, num. 4.

(146. Et revera regulares facti episcopi non solum alia bona, sed etiam libros, quos sibi pararunt in religione debent ante consecrationem omnimode resignare in manibus superiorum religionis, ut expresso pro Minoribus statuit Alexander IV, const. incip. *Ex parte vestra*, et pro Prædicatoribus Clemens IV, constitut. incip. *Providentia*, et alii pro aliis per text. in can. *Statutum* 1, caus. 18, quæst. 1. Nec dicendum est, dictas constitutiones loqui de libris aliorum auctorum impressis, vel manuscriptis, non vero de propriis a se compositis; quia dictæ constitutiones talem distinctionem non faciunt de libris impressis, et manuscriptis, nec de compositis a se, vel ab alio, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, cap. *Quia circa* 22, De privileg., et l. *De pretio* 8, ff. *De publiciana in rem actione*. Tum quia plus æstimatur originale manuscriptum, cujus nullum exstat vulgatum exemplar, maxime si sit compositum a viro excellentis et eximie doctrinæ, quam quivis alius liber impressus. Unde magis lædatur religio ab ipsius oblatione, adeoque si per dictas constitutiones cavetur indemnitati religionis in minori damno, a fortiori idem erit in majori, argumento a minori ad majus desumpto conformiter authent. *Multo magis*, cod. *De sacrosanct. Eccles.* Hinc nisi constet authentice de dicta declaratione Clementis VIII, allegata pro prima opinione, vel de alia dispositione Sedis Apostolicæ, non est recedendum ab hac secunda opinione, utpote potiori ratione, et multipliciore jure suffulta.

* Confer Daniele Concina in opere cui titulus *Disciplina Apostolico monastica dissertationibus theologis illustrata*, dissert.